

et procuratori hujusmodi; » et ex allata etiam constitutione Innocentii XII, ante § 1, ibi: « Unus procurator sive syndicus Apostolicus. »

(62. Insuper eadem sacra congreg. Boni Regiminis die 19 Julii 1654 proposita causa ad instantiam quarundam communitatum, partibus auditis, censuit « syndicos Apostolicos teneri ad onera communitativa. » Sic referunt Matthæuce., *Official. cur.*, c. 51, n. 6, et Ursaya, tom. III, part. 1, discept. 30, n. 58.

(63. Ecclesiastici assumpti in syndicos Apostolicos non sunt exempti a jurisdictione ordinarii. Sacra congreg. Concilii, die 5 Julii 1710, in *Insulana Exemptionis*, in qua pro syndico Apostolico, qui erat sacerdos, proposito dubio: « An sacerdos Felix de Sola syndicus unicus PP. Minorum Sancti Francisci de Observantia civitatis Insulæ sit exemptus a jurisdictione episcopi; tam extra visitationem quam in actu Sanctæ Visitationis, » fuit rescriptum, *Negative* in casu de quo igitur, in quo concurrebant multæ circumstantiæ exclusivæ talis exemptionis, propter quas sacra congregatio addidit illa verba: *In casu de quo agitur*. Sic refert Ursaya, tom. III, p. 1, discept. 30, n. 59.

(64. Syndici Apostolici non comprehenduntur in decreto, quod sæculares non pernoctent in conventibus Fratrum Minorum. Sic sacra congregatio episcoporum et regularium, expresse respondit ad dubium eidem super ea re per Patrem Fratrem Joannem Baptistam ab Altina procuratorem generalem Ordinis propositum: « An scilicet dicti syndici comprehendantur in decreto emanato die 1 Decemb. 1679. Audito enim Patre ministro generali ordinis, et attentis narratis, dicta sacra congregatio censuit ac declaravit præfatos syndicos conventuum ejusdem ordinis non comprehendendi in enuntiato decreto. » Romæ 4 Decembr. 1699. G. cardinalis Carpineus.

(65. Syndico Apostolico duntaxat licitum est, non Fratribus Minoribus de Observantia seu Reformatis, exigere in judicio legata facta sacristiæ, vel fabricæ ecclesiæ, aut

conventus. Cum enim in congregatione ad id specialiter ab Urbano VIII deputata fuissent proposita hæc duo dubia: « I. An valeat legatum annui redditus factum fabricæ sacristiæ vel ecclesiæ Fratrum Minorum tam de familia quam ex reformatione. II. An liceat Fratribus hujusmodi legata in judicio exigere per eorum procuratores vel syndicos Apostolicos; » responsum fuit: « Ad I. Valere legatum annui redditus factum sacristiæ vel fabricæ ecclesiæ, vel conventus Fratrum Minorum, tam de familia quam de reformatione, nisi adsit excessus in quantitate. Ad II. Nec per seipos, nec per alios licere Fratribus in judicio exigere hujusmodi legata, sed syndico Apostolico duntaxat. » Sic apud Fagnanum dictæ congregationis secretarium in cap. *Nimis prava*, n. 49 et 12. *De excessibus prælat.*, et apud tom. II *Thesauri resolutionum sacrae congregationis Concilii* in expositione causæ in *Firmana Legatorum*, § *Hæc sunt*.

(66. Syndicus Apostolicus nequit habere dominium et possessionem census relictæ Fratribus Observ. et Reformatis. Et dicti syndici nomine nequeunt præfati Fratres retinere bona stabilia, census aliosque annuos redditus. Sic apud d. tom. II *Thesauri resolut. sacrae cong. Conc.*, in expositione causæ in *Firmana legatorum*, § *Tum quia*, ubi refertur ad id resolutio cit. specialis congregationis et Congregationis R. Fabricæ in *Æsina Legati* 26 Novembris 1692, et sacra congregatio Concil. 2 Octobr. 1721, ubi ad id dubium: « An religiosi S. Francisci Min. Observant. Murri Vallium liceat retinere relictum a quondam Ludovica Moretti in cas., » etc. Responsum fuit: « *Negative*, et syndicum teneri censum dimittere, sed Patres posse recipere fructus ab hæredibus per modum elemosynæ. »

(67. Syndicus Minorum de Observantia et Reformatum in concernentibus correctionem, non est exemptus a jurisdictione ordinarii. Sacra congreg. Conc., in *Nullius Altamuræ Exemptionis* 3 Augusti 1715 ad 5 apud d. *Thesaurum*, tom. IX circa fin.

SYNODUS DIOECESANA.

Vide verb. CONCILIUM EPISCOPALE, SEU SYNODUS DIOECESANA.

T

TABACCUM.

SUMMARIUM.

1. Tabaccum in quibusvis civitatis et diocesis Hispalensis ecclesiis, atris et ambitu sumi non potest, sub pœna excommunicationis imposita ab Urbano VIII. — 2. Item sub eadem excommunicationis pœna tabaccum sumere in basilica Vaticana, ejusque choro, capellis, sacrario et atris sumere prohibuerat Innocentius X. — 3. Ast istam excommunicationem sustulit Benedictus XIII. — 4. Adducitur ad id notificatio facta ab eminentissimo archiepiscopo illius basilicæ. — 5. Tabacci cujuscunque usus ante missam et communionem indecens

est, et multo magis dedecet, si masticaretur. — 6. Qui fumum vel pulverem tabacci naribus sumunt non frangunt jejunium naturale. — 7. An illud frangant, qui folia tabacci ore sumunt, et dentibus conterunt ad sputa et phlegmata ex ore projicienda? — 8. Tabacci excessivus usus seu abusus non parva affert incommoda, quæ assignantur, ad n. 9. — 10. Tabaccum Jacobus VI Britannorum rex interdixit in suo regno, bene persuasus ex ejus usu corpora hominum enervari; et Amurathes IV Turcarum imperator sub pœna capitali ipsum prohibuit, ne subditi vel inebriarentur, vel infecundi redderentur. — 11. Adducitur de tabacco lepidum scriptum. — 12.

Adducuntur varia decreta sacrae congregationis Immunitatis in ordine ad faciendam perquisitionem

(1. Tabaccum sive solidum, sive in frusta concisum aut in pulverem redactum, ore vel naribus, in fumo per tubulos, et alias quomodolibet sumere prohibetur, sub pœna excommunicationis latae sententiæ eo ipso absque aliqua alia declaratione incurrenda omnibus et singulis utriusque sexus personis tam sæcularibus quam ecclesiasticis, etiam cujusvis ordinis ac Instituti regularibus quomodolibet qualificatis in quibusvis civitatis et diocesis Hispalensis ecclesiis, earumque atris et ambitu. Urban. VIII constitut. incip. *Cum Ecclesiæ* emanat. die 30 Januarii 1642.

(2. Item sub eadem excommunicationis pœna tabaccum sumere in basilica Vaticana, ejusque choro, capellis, sacrario, porticu et atris sumere prohibuerat Innocentius X sub die 8 Jan. 1650; const. incip. *Cum sicut*. (3. Ast istam sustulit Benedictus XIII sub die 10 Jan. 1725, ut patet in sequenti notificatione.

(4. « Annibal miseratione divina tit. S. Clementis presbyter cardinalis Albanus S. R. E. camerarius, et hujus sacrosanctæ Basilicæ archiepiscopus.

« Omnibus et singulis nostras hasce litteras inspecturis compertum esse volumus a SS. D. N. Benedicto divina Providentia PP. XIII per ejus speciale chirographum seu motum proprium ad nos directum et datum sub die x mensis hujus Januarii anni 1725, Nobis a Sanctitate Sua demandatum fuisse, ut cunctis Christi fidelibus utriusque sexus, ac præsertim reverendis. capitulo et clero sacrosanctæ basilicæ Vaticanae significemus et notum faciamus, prout presentibus exsequimur, ab eadem Sanctitate Sua, justis prudentibusque de causis in eodem motu proprio indicatis, certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, abolitam fuisse ac penitus abrogatam prohibitionem, alias a fel. rec. Innocentio PP. X. factam, qua sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, omnibus et singulis vetuerat ne, in Basilica præfata ejusdemque sacrario, choro, capellis, porticu et atrio herbam nicotianam, vulgo *Tabaccum* nuncupatam, sive in solidum, sive in frusta concisum, sive in pulverem redactum, fumum ex eo elicatum ore, naribus, aut alias quomodolibet sumere audent vel præsumerent; et virtute memorati chirographi quibuscunque a Sanctitate Sua factam fuisse potestatem dicto tabacco in recensitis sacris locis pro libito utendi, illumque sumendi, cujusvis ecclesiasticæ censuræ comminatione omnino sublata.

« Quia tamen in laudato motu proprio eadem Sanctitas Sua expresse declaravit, ejusdem mentem non esse aut unquam fuisse, ut ex narrata permissione, reverentia et honor dictæ sacrosanctæ Basilicæ debitus ullatenus minuatur, et ideo nobis, qui præfata Basilicæ immeriti quamvis archiepiscopali munere fungimur, districtæ præ-

FERRAR. VII.

tabacci in locis immunibus, usque ad n. 17. — 18. Alia ad n. 20.

cepit, ut ejusdem reverendiss. capitulo et clero, qui cæteris aliis exemplo præire debet, ea servanda mandaremus, quæ ad augendam domus Domini sanctitudinem et cultum huic toto orbe celeberrimæ Basilicæ præstandum, cujus incrementum Sanctitas Sua quam maxime in votis habet, facere et conducere judicaremus.

« Hinc piissimis hisce Sanctitatis Suae mandatis morem ex animo gerentes, præsentem edicto rev. capitulo totique clero suprad. Basilicæ districte in Domino præcipimus, non modo, ut in ipsa basilica, vel ejus choro, aut sacrario tabaccum ita circumspicte sumant, ut nemini eorum, qui aderunt, scandali et offensionis ingerant occasionem, verum etiam, quod illorum nullus, præsertim dum choro interest et divinis operatur officiis, arculam seu thecam, in qua nicotianum pulverem servat, ad alios in orbem seu gyrum mittere palam, et publice audeat, sub pœnis arbitrio nostro juxta modum inobedientiæ infligendis. Volumus autem ut hæc voluntatis nostræ significatio presentibus litteris consignata in sacrario memoratæ Basilicæ, ac in loco conspicuo, qui ab omnibus cerni possit, semper affixa remaneat, in perpetuum omnium supra dictorum, præceptorumque monumentum.

« Dat. Romæ ex nostro Palatio ad Quatuor Fontes 15 Januarii 1725.

« Loco † Sigilli.

« A. card. S. Clem. arch. »

(5. Tabacci cujuscunque usus ante missam et communionem indecens est, ut notant passim doctores, et signanter La Croix lib. vi, part. ii, n. 560, ubi dicit quod Urbanus VIII, constit. 161, et synodus Colonienensis, pag. 88, prohibent ne ullus clericus vel laicus ante missam vel communionem sumat tabaccum nasale; si autem tabaccum traheret fumo, adhuc magis dedecet, uti notant doctores cum Busemb., lib. vi, part. i, tr. 3, cap. 2, dub. 2, art. 2, vers. *Et si parvitas*, et multo magis dedecet, si masticaretur.

(6. An vero sumptio tabacci frangat jejunium naturale? Variant doctores. Antonius enim de Leone, in *Questionibus moralibus de Chocolata*, part. i, § 4, n. 10 et seq.; Lezana, tom. II, verb. *Eucharistia*, n. 16, et alii, dicunt violari jejunium naturale ad communionem requisitum, quando aliquis fumum vel pulverem tabacci naribus sumit. At vero rectius hanc sententiam rejiciunt Diana, part. v, tract. 13, resolut. 1, et part. viii, tract. 7, resolut. 3; Pasqualis., in *Praxi jejunii*, decis. 438; Lugo in *Respons. moral.* lib. i, dub. 9; La Croix, lib. vi, part. i, n. 570, cum aliis ibi citatis, et alii passim; et ratio est quia illa non est vera comestio vel potatio, quibus solis jejunium solvitur; sed vel est trajectio salivæ, vel respiratio, vel attractio seu efflatio narium.

(7. Difficultas major est de his, qui folia

25

tabacci ore sumant et dentibus conerunt ad sputa et phlegmata ex ore projicienda; de istis enim Antonius de Leone, *loc. cit.*, dicit non esse dubium quod violent jejunium, quia semper aliquid ex succo in stomachum trajicitur; et ipsum sequuntur alii, et praesertim Lezana, *l. c.*, dicens frangi jejunium, nisi moraliter certum sit nihil in stomachum pervenisse. Et Alphonsus de Leone, et Joannes Praepositus, quos affert et sequitur Diana, *loc. cit.*; Raynaud., in *Helor.*, tom. XVI, sect. p. 3, n. 23, et alii dicunt, non violari jejunium, si nihil in stomachum trajiciatur; violari tamen si aliquid trajiciatur; Gobat autem, t. I, tr. 4, n. 265; Burg. et Mercant. cum La Croix lib. vi, part. 1, n. 569, et alii plures, et ex professo Lugo, in *Respons. moral.*, lib. 1, dub. 6, n. 5, dicunt per id minime frangi jejunium, fateaturque *ibi* Lugo, quod talis sit praxis doctorum et piorum virorum, qui absque ullo scrupulo tabacco utuntur, et ejus folia primo mane ore versant et dentibus conerunt, et postea ad communionem et missam celebrandam accedunt, sicque sibi respondisse omnes a se consultos viros doctos et theologiae professores, volentes quod ad hoc, ut tabacum ore sumptum et dentibus contritum sputa et phlegmata, aliosque superfluos humores atrahat, non sit necesse ut aliquis succus foliorum tabacci descendat in stomachum, quia fieri potest per vim attractivam, ex consensu linguae et palati cum stomacho, cerebro aliisque partibus continentibus; caeterum tenendum est quod, si aliquis tabacci succus in stomachum trajicitur, tunc frangatur jejunium naturale; secus autem non, ut praeter supradictos cum aliis docet etiam Pontas, verb. *Missa*, cap. 6.

(8. Tabacci praesertim excessivus usus, ni dicam abusus, non parva affert incommoda, si expertibus in arte medica fidem habere velimus. Simeon Paulus enim medicus regius Tarbusiensis pag. 8, terg., litt. D, sic expresse habet: « Quotusquisque ergo est, nisi ipse sit architabaccarius, atque adeo animo occupato, qui non intelligat quod meatibus aut foraminulis ossis ethmoidis a pulvere tabacci obturatis, cum cerebrum per os ethmoidis neque aerem, ut eo ventiletur, neque rerum odorabilium species admittere possit, quin necessario olfactu intercitat? » Et paulo post: « Cum ergo ad nasi radices usque pulvis tabacci narcoticus magna copia violenter atrahatur, et punctum temporis natura otiosa non sit, ac in vivo corpore ex decretis Hippocratis nostri, omnia sint permeabilia ac respirabilia, utique aliter fieri non potest, ut innui, quin partes olfactui destinatae a narcotica tabacci facultate affligantur. »

(9. Et Jo. Chrysostomus Magnenus, professor medicus in Universitate Ticinensi, exercit. 8, § 4, sequentia tabacci incommoda recenset: « Primum incommodum est odoratus abolitio, membranarumque, nervique odoratorii exsiccatio, processuum mamillarum tabes, ut probavimus. » § 15, exerc. 6.

« Secund. inducta cerebro intemperies, quae memoriam labefactat. Tertio operantur in medicina isti, quando quiescere licet, quod furoris genus appellat Celsus. Quarto attrahunt a ventriculo ad cerebrum humores pravos immoderateque exsiccatione aliqui vix sibi satis constant. Quinte senium, mortemque accelerant adventitia siccitate humido radicali infesta. Sexto febribus acutis magis obnoxii redduntur, itemque deliriis et phrenetidi. Septimo, vidi non neminem, cui insanus hujus pulveris usus crystallinum corrugaverat humorem, unde et fluitantia cernebat objecta. Octavo durior auditus fit iis, qui parvum caput sortiti sunt, tinnitusque aurium cuiquam contingit effrenato hujus pulveris usu. »

(10. Tabaccum Jacobus VI, Britannorum rex, interdixit suo in regno, bene persuasus ex ejus usu corpora hominum enervari. Et Amurates IV, Turcarum imperator, sub poena capitali ipsum prohibuit, teste dicto Magneno exerc. 6, § 10 et 11, ne subditi, vel inebriarentur, vel infecundi redderentur.

(11. His de tabacco ad eruditorum curiositatem addere lubet, quae ex Anton. abbate in suis lepidissimis *Frascherie*, Fascio 2, tit. *La pazzia*, Satira circa medium, refert Ursaya, *Instit. crim.*, lib. III, tit. 3, n. 58, *ibi*:

Una certa pazzia nasi innamorata,
Che nome ha di tabacco, e a mio giudizio
Già dall'urna del mal trasse Pandora.
E' medicina, e non fa mai servizio,
Non fa servizio, e a chi la piglia è grata,
Grata è per uso, ed usasi per vizio.
A lordar nasi, e fazzoletti è nata,
Però scerner non sò, se più conviene
Ai nasi, o a fazzoletti una buccata.
Come in suol polveroso ondose vene
Piovon dal ciel, così dal naso esclusa
Su la polvere sua la pioggia viene.
S' a sgravare il cervello un uomo l'usa,
Ragione non avrà, mentre si lagna.
Che leggier di cervell' altri l'accusa.
Sempre cola un umor, ch' il labbro bagna,
Ond' io non so, se magni, o cachi il naso,
O faccia collazion naso, che magna.

(12. Adducuntur varia decreta sacrae congreg. Immunitatis in ordine ad faciendam perquisitionem tabacci in locis immunibus, prout referuntur a D. Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Tabaccum*, *ibi*:

(13. Sac. cong. ultra facultates in decreto sub 21 Dec. 1617, ex speciali commissione sanctissimi concessas reverendissimo nuntio Apostolico, et ordinariis locorum in regnis Lusitaniae et Algarbiorum, sequentes de ejusdem sanctissimi permissione addendas esse censuit: firma in reliquis remanente dispositione ejusdem decreti, videlicet,

Quod reverendissimus dominus nuntius, retenta sibi potestate procedendi et inquirendi contra regulares et exemptos in civitate et diocesi Ulixiponen. pro aliis locis cognitionem causarum contra cujusvis ordinis, congregationis et instituti necessitate etiam exprimendi regulares mercimonii causa tabaccum contrahentes seu

confundentes, vel etiam ad effectum praefatum retinentes, propriis episcopis in civitatibus et locis intra fines cujuslibet illorum diocesis, et quoad loca, quae nullius vel extra diocesim existunt, aliis episcopis vicinioribus committere possit et valeat, communicando eidem nomine Sedis Apostolicae facultatem inquirendi et procedendi contra dictos regulares et exemptos private quoad omnes etiam ipsorum praelatos et regulares; insuper tam idem nuntius, sanctissimo pariter annuente, in diocesi et civitate Ulixiponen. quam dicti episcopi et ordinarii locorum, sive procedentes contra ecclesiasticas personas ex propria facultate, sive delegata contra regulares, aliosque exemptos possint pariter, et valeant in casibus praefatis perquirere toties quoties opus fuerit in locis immunibus, ac intra claustra et domos regularium seu monasteria, quamvis exempta. Sac. cong. Immun. in *Lusitana* 21 Junii 1678 lib. II *Decret.* Altovit., pag. 1599.

(14. Ad instantiam proregis Neapolis editum fuit simile decretum quoad tabaccum cum iisdem facultatibus nuntio et episcopis regni Neapolitani, ac in supraposito pro regnis Lusitaniae. Sac. cong. Immun. in *Neapolitana* 29 Jun. 1678, lib. II *Decr.* Alt., pag. 1603.

(15. Ad instantiam appellatorum tabacci R. Camerae Apostolicae conceditur eadem facultas episcopis status ecclesiastici perquirendi in quocunque loco, et procedendi, et inquirendi contra quoscunque quomodolibet exemptos eodem modo et forma, ac in Neapolitana suprascripta circa tabaccum. Sac. cong. Immun. in *Romana* 17 Martii 1682, lib. III *Decr.* Alt., pag. 23.

(16. Edicta et Banna publicata a D. nuntio et controversa ab eminentissimo ar-

TABERNACULUM.

SUMMARIUM.

1. Claves tabernaculi nec relinquere debent in sacristia, nec a laico servari, sed a solo sacerdote. — 2. Imo ipsas retinere debet parochus private ad sacristiam et capellanum. — 3. In tabernaculo, ubi asservatur sanctissimum sacramentum non sunt retinendae reliquiae, nec vasa sacrorum oleorum, nec aliud. — 4. Clavis tabernaculi, ubi reponitur hostia consecrata in feria quinta Coenae Dominicae, non est danda laico quantumvis nobili. — 5. Monialibus non committitur clavis tabernaculi sanctissimi sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse

(1. Claves tabernaculi (91) nec relinquere debent in sacristia, nec a laico servari, sed a solo sacerdote. Sac. cong. Rit. 22 Feb. 1593. (2. Imo ipsas retinere debet parochus private ad sacristiam et capellanum. Sac. cong. Concil., in *Neapolitana* 14 Novemb. 1693.

(3. In tabernaculo, ubi asservatur sanc-

(91) Quod tabernaculum dicimus, olim *peristerium*, *conditorium*, *repositorium* vocabant; de quibus vocibus Cangius in Glossario, et Georgius in

chiepiscopo super tabacco sustentur, Sac. cong. Immun., in *Neapolitana* 13 Novemb. 1668, lib. I *Decret.* Alt., pag. 286.

(17. Tabaccum extractum ab exsecutoribus curiae episcopalis sine interventu personae ecclesiasticae a loco immuni, debet restitui loco immuni. Sac. cong. Immun., in *Tudertina* 30 Augusti 1679, lib. II *Decret.* Altovit., pag. 1826.

(18. Quamvis tabaccum cujuscunque generis ante, et paulo post celebrationem missae, et sumptionem eucharistiae, quaedam synodi etiam sub censuris interdicerent; quapropter his suffulti auctoritatibus Clericatus, *De sacrament. Eucharist.*, decis. 54, num. 12, cas. 2; Natalis Alexander, *Theolog. dogm. et moral.*, t. I, in append. 1, *Variar.*, epistol. 45. Sarnellus episcopus, tom. VI *Epistol. ecclesiastic.*, epist. 30; Hurtad, *Resolut. moral.* tom. II, tract. 11, cap. ult., docuerunt oportere ac decere, ut episcopi in suis synodis edicant, ut a nemine ante missae celebrationem aut sanctissimae Eucharistiae perceptionem, tabacci folium manducetur; (19. Benedictus XIV, *De synodo diocesana*, lib. VII, cap. 63, num. 3, relicta in medio seu indecisa quaestione de tabacci folii masticatione, tradit nequam hodie expedire, ut usus tabacci fumi aut pulveris naribus attracti sub censurarum poena interdiceretur; cum hodie a communi consuetudine sit adeo talis usus honestatus, ut nulli prorsus scandalum praebat, aut admirationem causet. (20. Unde nimium severus notaretur episcopus, qui dictis antiquis synodis insistens dicti tabacci usum, aut omnibus ante sacrae Eucharistiae perceptionem, aut solis sacerdotibus ante missae celebrationem interdiceret, adjecta praesertim in transgressores censurarum poena.

debet, ad quem spectat cura illud administrandi. — 6. Nec etiam in monasteriis monialium asservari debent reliquiae, sed in exterioribus ecclesiis. — 7. Tabernaculum sanctissimi sacramenti in cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones Pontificales, quae fiunt versis renibus ad altare. — 8. Capuccini retinere possunt tabernaculum ligneum affabre laboratum. — 9. Ante ostium tabernaculi SS. Eucharistiae, in quo depicta vel insculpta est imago Salvatoris, non est retinendum vas florum, vel quid simile, sed collocandum in humiliori et decentiori loco.

tissimum sacramentum, non sunt retinendae reliquiae, nec vasa sacrorum oleorum, nec aliud. Ead. sac. cong. Rit., die 22 Feb. 1593.

(4. Clavis tabernaculi, ubi reponitur hostia consecrata in feria v Coenae Dominicae, non est danda laico, quantumvis nobili. Sac. cong. Rit. 30 Jun. 1616.

disquisitionibus *De sacro ministerio*, tom. I, *De liturg. Rom. Pont.* praemissis cap. 16, p. xcii seqq

(5. Monialibus non committitur clavis tabernaculi SS. Sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi. Sac. cong. Concilii in *Vallisolezana* 12 Januar. 1604.

(6. Nec etiam in monasteriis monialium asservari debent reliquiae, sed in exterioribus ecclesiis. sac. cong. Conc., in *Faventina* 7 Martii 1617.

(7. Tabernaculum sanctissimi sacramenti in cathedralibus non debet esse in altari

TABERNA, TABERNARII, SEU CAUPONES.

SUMMARIUM.

1. Tabernæ nomine quid veniat? — 2. Tabernæ ingredi non possunt clerici ad comedendum et bibendum, nisi in itinere aut causa necessitatis. — 3. Tabernæ habere nullimode licet clericis, alias deponendi sunt. — 4. Tabernarii seu caupones mortaliter peccant, si inebriandos, plura vendendi aut lucrandi prætextu, ad potum continuandum provocent. — 5. Item mortaliter peccant tabernarii seu caupones, qui potum ministrant iis quos inde prævident inebriandos, si ex denegatione non timeantur gravia incommoda. — 6. Idem dicendum est cum proportione de tabernariis qui carnes aut secundam refectionem ministrant in die jejunii, ac de illis qui potum ministrant se inebriaturis. — 7. Ta-

(1. Tabernæ nomine intelligitur domus, in qua panis, vinum, carnes coctæ et alia hujusmodi venduntur. Sic Glossa communiter recepta in Clem. 1, *De vita et honestate clericorum*.

(2. Tabernæ ingredi non possunt clerici ad comedendum et bibendum, nisi in itinere aut causa necessitatis. Cap. *Non oportet* 2, cap. *Clerici* 4, dist. 43.

(3. Tabernæ habere nullimode licet clericis, alias deponendi sunt, textu expresso in cap. *Nulli clerico* 3, dist. 44, ibi: « Nulli clerico licet tabernam aut ergasterium habere; si enim hujusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea? Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur. »

(4. Tabernarii seu caupones mortaliter peccant, si inebriandos, plura vendendi aut lucrandi prætextu, ad potum continuandum provocent. *Comm.* Et ratio est quia, si ex Apostolo ad *Rom.* 1, n. 31: *Digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, a fortiori qui alios ad male agendum provocant et inducunt.

(5. Item mortaliter peccant tabernarii seu caupones, qui potum ministrant iis quos inde prævident inebriandos, si ex denegatione non timeantur gravia incommoda. *Communis.* Et ratio est quia, licet ipsi vendant et ministrent rem de se indifferentem, quia tamen hic et nunc est materia ebrietatis, et consequenter etiam peccati gravis, tenentur illam denegare, sicuti tenentur peccatum proximi impedire; quia, ut habetur *Eccli.* xvii, 12: *Mandavit (Deus)... unicuique de proximo suo.* (6. Idem dicendum est cum proportione de tabernariis, qui carnes aut secundam refectionem mi-

majori propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis renibus ad altare. sac. cong. Rit. 24 Novemb. 1598.

(8. Capuccini retinere possunt Tabernaculum ligneum affabre laboratum. Sac. congr. Episcop. et Regul. 13 Julii 1649.

(9. Ante ostium tabernaculi SS. Eucharistiæ in quo depicta vel insculpta est imago Salvatoris, non est retinendum vas florum, vel quid simile, sed collocandum in humiliori et decentiori loco. Sac. congreg. Rit. 22 Jan. 1701.

bernarii seu caupones, si ut plures habeant hospites, permittant seu curent ad ædes suas venire meretrices, et inservire mensis, peccant mortaliter. — 8. Tabernarii graviter peccant, si admoniti, ut desistant, adhuc diebus festis tempore divinatorum officiorum, in suas tabernæ incolas, seu paræcianos ad potandum, ludendum aut aliud non necessarium agendum permittant, præsertim cum scandalo aliorum. — 9. De tabernariis vendentibus pro puro vinum aquæ commistum, aliasque res majori pretio, quam valeant, remissive. — 10. Episcopus potest prohibere aperiri tabernæ pro ludis alearum et taxillorum. — 11. Magistratus non potest prohibere tabernariis appendere res venales in columnis porticus, quas Ecclesia habet jus locandi.

ministrant in die jejunii, ac de illis qui potum ministrant se inebriaturis, cum sit omnino par ratio.

(7. Tabernarii seu caupones, si, ut plures habeant hospites, permittant seu curent ad ædes suas venire meretrices, et inservire mensis, peccant mortaliter, quia dant occasionem proximam peccatis, tum meretricum, tum hospitem. *Beja*, p. 1, cas. 48. *La Croix*, lib. II, n. 26, et alii passim.

(8. Tabernarii graviter peccant, si admoniti ut desistant, adhuc diebus festis, tempore divinatorum officiorum in suas tabernæ incolas seu paræcianos ad potandum, ludendum aut aliud non necessarium agendum permittant, præsertim cum scandalo aliorum. Colligitur ex pluribus conciliis, et signanter ex concilio Rothomagensi, *De curatorum et aliorum presbyterorum et paræcianorum officiis*, ubi statuit, ut parochi in Pronao pro excommunicatis denuntiant, qui post admonitionem ausi fuerint Dominici et festivis diebus, tempore divini servitii, paræcianos in domum suam ad potandum, ludendum aut aliud non necessarium agendum recipere. » Item ex concilio Turonensi tit. *De festorum cultu*, ibi: « In hospitibus seu cauponis, aliis, quam peregrinis cibaria et vinum ministrari... sub anathematis pœna prohibet hæc sancta synodus. » Quæ duo concilia, ut testatur Pontas verb. *Capro*, cas. 2, confirmata fuerunt a Gregorio XIII. Anathematis autem pœna non nisi pro peccato mortali infligi potest, ut declarat concilium Meldense cap. 56, relat. in c. *Nemo* 41, caus. 11, quæst. 3. ibi: « Quia anathema æternæ est mortis damnatio, et non nisi pro mortali debet imponi crimine; » et concordat can. *Corri-*

piantur 17, caus. 24, qu. 3, ubi dicitur quod in ecclesia nulla major dari potest pœna, quam excommunicatio, ibi: « Quæ pœna in Ecclesia nulla major esse potest. »

(9. De tabernariis vendentibus pro puro vinum aquæ commistum, aliasque res majori pretio, quam valeant, discurrendum est cum proportione, sicuti dictum est sub verb. *CONTRACTUS EMPTIONIS, VENDITIONIS*, art. 3. Vide *ibi*.

(10. Episcopus potest prohibere aperiri tabernæ pro ludis alearum, et taxillorum. Sac. congregat. Immunit., in una *S. Severini* 8 Julii 1687, lib. 1 *Martelli*, pag. 131, et 16 Nov. 1688, *ibi*, pag. 388.

TACTUS IMPUDICI.

SUMMARIUM.

1. Omnes tactus impudici animo deliberate libidinosi facti in personis solutis in quacunque corporis parte sive in alio, sive in seipso, sunt semper peccatum mortale. — 2. Tactus facti in seipso in partibus verendis præcise ex joco seu levitate, ordinarie non sunt peccatum mortale. — 3. Tactus facti in alio cujusque sexus in parte corporis honesta ex joco, levitate, aut propter delectationem mere sensualem, ordinarie excusantur a peccato mortali. — 4. Mortales autem ordinarie sunt dicti tactus, si fiant in partibus verendis. — 5. Si tamen dicti tactus fiant quidem in partibus verendis, sed supra vestes, ordinarie excusantur a peccato gravi. — 6. Feminae permittentes se tangi impudice, præsertim in partibus libidinosi, peccant graviter. — 7. Ancillæ, nutrices, pueros vestientes, lavantes, eorum pudenda tangentes, etsi motus sensualis exurgat, secluso consensu, aut complacentia turpi, aut non peccant, si ita suum officium exigat; aut solum peccant venialiter, si leviter ex joco aut curiositate faciant; si autem id facerent cum notabili mora, ordinarie peccarent mortaliter. — 8. Tactus venerei, seu impudici inter personas ejusdem sexus sunt graviora peccata mortalia, quam inter personas solutas diversi sexus. — 9. Tactus in quacunque parte corporis, sive proprii, sive alieni, facti a medicis, chirurgis, infirmariis, aut aliis causa medendi, aut alterius necessitatis, quamvis inde interdum suboriantur motus inordinati, quoadiu abest

(1. Omnes tactus impudici animo determinate libidinosi facti in quacunque corporis parte, sive in alio, sive in seipso, sunt semper peccatum mortale.

(2. Tactus facti in seipso in partibus verendis præcise ex joco seu levitate, ordinarie non sunt peccatum mortale, quia tactus in corpore proprio non ita excitant ad libidinem, ac tactus in corpore alieno. *Communis.*

(3. Tactus facti in alio cujusque sexus in parte corporis honesta ex joco, levitate, aut propter delectationem mere sensibilem, ordinarie excusantur a peccato mortali. *Communis;* et ratio est quia tactus illi, cum sint de se indifferentes, non plus habent malitiæ, quam communicet ipsis affectus tangentis, adeoque, cum in dicto casu affectus tangentis non sit mortalis, neque mortales erunt dicti tactus. (4. Mortales autem ordinarie sunt dicti tactus, si fiant

(11. Magistratus non potest prohibere tabernariis appendere res venales in columnis porticus de jure ecclesiæ seu quas Ecclesia habet jus locandi. Sac. cong. Immunit. in *Imolen.* 5 Maii 1699, lib. *Decr.* Vall., p. 218.

* Circa caupones omittendum non est eos teneri pro omnibus iis rebus, quæ a viatoribus in caupona depositæ furto auferuntur, excepto tamen casu, quo quis vector vel viator furtum commiserit. L. 2, ff. *Nautæ caupones*, l. 6, § 3, ff. eod., l. unic., § 6, ff. *Furti adversus nautas caupones*, etc. *

pravus affectus et consensus, aut ejusdem periculum, nullimode sunt peccaminosi, imo de se sunt meritorii. — 10. Item nequidem erit peccatum veniale tangere verenda proprii corporis ex naturali aliquo et non malo fine. — 11. Tangere seu complecti pueros ex affectu teneræ infantilis ætatis, captando delectationem sensibilem ex mollitie carnis teneræ, per se loquendo, secluso consensu, aut complacentia turpi, vel nullum est peccatum, vel tantum veniale. — 12. Tactus etiam in partibus verendis facti inter conjuges, si ordinantur ad copulam conjugalem, sunt per se liciti. — 13. Si autem similes tactus inter conjuges fiant causa solius voluptatis et delectationis absque ordinatione ad copulam conjugalem, sunt quidem culpabiles, sed non mortaliter. — 14. Dummodo tamen in dictis tactibus absit periculum pollutionis. — 15. Tactus, qui fiunt inter sponso de futuro cum delectatione sensibili, venerea, morosa et directe voluntaria, sunt peccata mortalia. Alias non sunt nisi venialia; et si pudice fiant ex recto et honesto fine secundum consuetudinem patriæ, sunt licita. — 16. Bruta et animalia, minora præsertim, molliter tractare, demulcere, etiam eorum pudenda contrectare ex sola jocositate vel levitate, sine ulla impura delectatione, ordinarie est tantum peccatum veniale. — 17. Esset autem mortale ita bruti, seu animalis alicujus pudenda fricare, ut semen expelleret ex curiositate illud videndi, et ob delectationem sensibilem. — 18. Alia ad rem, remissive. — 19. Affertur ad complementum dictum poeticum.

in partibus verendis. *Communis;* et ratio est quia, licet tactus illi procedant absque affectu vere libidinoso, quia tamen sunt in partibus libidinosi, seu libidinem ex natura sua (ubi non adest justa dictorum tactuum necessitas) valde excitantibus, et ad delectationem veneream, et pollutionem proxime disponentibus, sunt ordinarie mortiferi, juxta illud *Eccli.* III, 27: *Qui amat periculum, peribit in illo.* (5. Si tamen dicti tactus fiant quidem in partibus verendis, sed supra vestes, ordinarie excusantur a peccato gravi, quia non videtur in ipsis adesse tantum periculum, ut notant communiter doctores, quamvis serio moneant esse id vitandum, præsertim in personis alterius sexus.

(6. Feminae permittentes se tangi impudice, præsertim in partibus libidinosi, peccant graviter, non solum ratione cooperationis alterius peccato, sed etiam ratione tactus passivi. *Communis;* et ratio est quia